



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 17. De fugatis è templo negotiatoribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)

6. Ad B. Virginis preces hydriæ impletæ sunt aqua, quam postea Dominus conuertit in vinum. O quoties clementissima Dei mater compatiens peccatorum miserię precibus suis impetrat, ut dura eorum corda impleantur amarissimis contritionis lachrymis, quas postea Dominus, sublata culpa, & collata gratia, in suauissimum caritatis, diuinaramque consolationis vinum conuertit!

7. *Omnis homo, inquit sponsus, primum bonum vinum ponit, deinde quod deterius est.* Hic mundus defraudator, est peruersus ille hospes, qui suis amatoribus initio præbet bonum vinum, dum eis omnes huius vitæ voluptates, amores & delicias exhibet, quæ tandem terminantur in æternam amaritudinem, sicut scriptum est. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Contra, Christus est, qui bonum vinum reseruat in finem. Nam in hac vita seruis suis immittit multas afflictiones & tribulationes secundum illud, *Arcta est via qua dicit ad vitam, gaudia vero & consolaciones reseruat in alteram, ubi illis perfueruntur in æternum.*



## MEDITATIO XVII. DE FVGATIS E TEM-

PLO NEGOTIATORIBVS.

### PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Eiecit de templo vendentes & ementes: factio de funiculis flagello.* Iohn. 2.

C 4 II. Num-

II. Nummulariorum & mensas subuertit.

III. Vendentibus columbas mansuetè inquit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

## PROPHETIAE.

*Psal. 29.* 1. Domum tuam decet sanctitudo Domine.

*Psal. 68.* 2. Zelus domus tuae comedit me.

*Iere. 23.* 3. Propheta & Sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum.

*Ose. 9.* 4. Propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea eiciam eos.

*Zac. vi.* 5. Et non erit mercator in domo Domini exercituum in die illo.

## DOCUMENTA.

1. Ingressus est Iesus in templum. Deus spiritualiter quotidiè ingreditur Ecclesiam, & considerat, ut quisque se gerat, & conuersetur in illa; & ideo caueamus ne inueniant nos deditos iocis & nugis, vel inuolutos odjjs, cupiditatibus & actionibus illicitis: ne ex improviso deprehensi, ab eo flagellis à domo sua exterminemur.

*Prou. 5.* 2. Christus fecit flagellum ex funiculis. Funiculi designant peccata, quibus homo quasi funibus constringitur & ligatur, ut intelligamus Dominum ex ipsis peccatis nostris sumere.

RE CA-

re castigandi materiam eo quod peccator, dum perseuerando in malo, adiungit peccata peccatis, non aliud, quam multe plures funiculos, e quibus conficiatur flagellum, quo a Domino postea castigetur.

3. Per oves a Christo e templo electas significantur, qui specie pietatis vel sanctitatis student alios decipere, vel hominum laudes aucupantur.

4. Boues, quae sunt animalia laboriosa, & seruiunt ad colendam terram, designant Prædicatores, quos tunc Christus expellit a templo suo, quando non ex amore Dei & zelo animarum, sed ob quaestuum, aliaque commoda temporalia a cœlestem doctrinam annuntiant.

5. Columbas vendunt, & arguuntur a Christo illi, qui receptam Spiritus sancti gratiam non gratis, uti deberent, sed pro mercede & pecunijs communicant aliis: atque etiam non secundum hominum merita, sed secundum favorem & gratiam humanam.

6. Illi mutuo dant pecunias cum usura in Ecclesia, qui Deo non integrè seruiunt, sed simul aliqua ex parte mundo & rebus terrenis: & qui non pure in suis rebus querunt Christum eiusque gloriam, verum etiam proprium suum commodum & honorem.

7. Christus malos negotiatores a templo elecit non verbis solum, sed etiam factis, ad informandos Prælatos & omnes Ecclesiarum Rectores, quam rationem in corrigendis subditis tenere debeant, nempe ut quando paternæ admonitionis suauitas ad eos emendandos non sufficit, adhibeatur animaduersionis severitas.

8. *Zelus domus tuae comedit me,* inquit *psal. 68*  
Propheta in persona Christi. Si ergo actiones Christi, sunt nostra instrutio, merito debet qui quis Christianus eunderi zelum habere erga.

proximos, qui sunt domus Dei. Vnde cum videmus fratrem nostrum currere ad vanos Iudeos, ad congressus lasciuos, aliaque proximorum offendicula, similiter cum audimus blasphemantem, murmurantem, conuictis alias laceffentem, debemus eum admonere, absterre, reprehēdere, & quatenus possumus à malo reuocare. Si enim fuerimus frigidi, & nobis tantum, animaque nostrae, neglecto proximo, attenderimus; recordemur illius terui pigri, qui talentum suum abscōderat. Is enim neque accusatus, neque punitus fuit, quod talentum abiecisset, sed quod otiosus eo yti nouisset.

*[Mat. 25.]*

### M E D I T A T I O X V I I I .

#### D E C O L L O Q V I O D O- M I N I C V M S A M A R I T A N A .

##### P V N C T A M E D I T A T I O N I S .

- [Ioan. 4. I.] Discipulis in Ciuitatem Sichar pro cibo euntibus, IESVS fatigatus, apud puteum sedens petijt à Samaritana potum.*
- II. Mulieri miranti dixit: Si scires do-  
mum Dei petijsses à me aquam vi-  
uam, dixitque ei se esse Messiam, si-  
gnificans Patrem esse, qui querat  
adoratores in spiritu & veritate.*
- III. Discipulis monentibus, ut manduca-  
ret,*